

de Chorun, Gunterus de Zlowin, Hermannus Stranz, Wernerus de Satim, Otto de Ilbvrch, frater eius Bodo, Hermannus de Schonenburch, Hildebrandus de Baruth laici et alii quam plures.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel an Pergamentstreifen.

No. 392. 1224. 26. März.

*Pabst Honorius III. bestätigt das vom Markgrafen Dietrich gestiftete und dotirte Cisterzienserinnen-Kloster zum heil. Kreuz bei Meissen.*

Honorius episcopus servus servorum dei dilectis in Cristo filiabus abbatissae et sororibus monasterii sanctae Crucis apud Misne ordinis Cisterciensis Misnensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere consensum. — Ex tenore siquidem vestrae petitionis accepimus, quod dilectus filius nobilis vir Theodericus marchio quondam Misnensis et Orientalis locum quendam prope Misnam supra ripam Albiae in decursu ipsius fluminis situm ad honorem sanctae et victoriosissimae crucis, perpetuae virginis dei generatricis Mariae, in quo claustrum sanctimonialium ordinis Cisterciensis pro animae suae remedio pia et provida deliberacione construxerit pariter et de bonis suis dotaverit, vobis de consensu diocesani loci concesserit, proinde ut in patentibus litteris desuper confectis plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem marchione pie ac provide factum est, ratum et firmum habentes id autoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat etc. Si quis autem etc. Datum Laterani XII. Cal. Aprilis pontificatus nostri anno VIII.

Schultes director. diplom. II. 587 f.

No. 393. 1224.

*B. Bruno genehmigt und bestätigt die Stiftung des Klosters zum heil. Kreuz bei Meissen.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Brvno II<sup>us</sup> dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus. Pie mentis est amplectenda devotio, qua illustris memoriae dominus Theodericus quondam marchio Misnensis et Orientalis locum quendam prope Misnam supra ripam Albiae in decursu ipsius fluminis situm ad honorem sanctae et victoriosissimae crucis perpetuae virgini dei genitrici Mariae donavit, in quo claustrum sanctimonialium ordinis Cisterciensis<sup>1)</sup> pro suorum remedio peccatorum instituit ipsumque de bonis suis, heredum suorum accedente consensu, dotavit. Eidem ergo suae devotioni et nos devoto concurrentes assensu, eo quod ex debito pastoralis regiminis teneamur non solum ecclesias plantare sed etiam plantatas fovere, donationem ac

1) Cisterciensis von zweiter Hand an der Stelle eines ausradirten Wortes, wahrscheinlich s. Benedicti.